

THE SURRENDER OF POSTUMIUS (320 B.C.) (9.10-11)

Consul Sp. Postumius, trapped with his army by the Samnites at the Caudine Forks north of Capua in 321 B.C., surrendered on condition that the army be released (under the yoke) and that Rome would withdraw from Samnite territory. Once back in Rome, Postumius urged the Senate to reject the "treaty" (which he had no authority to conclude) and to decree that Postumius, along with some of his senior officers (who since had been elected tribunes of the plebs) be surrendered to the Samnites in expiation. The Senate agreed and the fetial priests accompany Postumius and his officers to Samnite territory to carry out the surrender.

- 1 [10] Movit patres conscriptos cum causa tum auctor, nec ceteros solum sed
2 tribunos etiam plebei ut se in senatus dicerent fore potestate. Magistratu inde
3 se extemplo abdicaverunt traditique fetialibus cum ceteris Caudium ducendi.
4 Hoc senatus consulto facto lux quaedam adfulsisse civitati visa est.
5 Postumius in ore erat; eum laudibus ad caelum ferebant, devotioni P. Deci
6 consulis, aliis claris facinoribus aequabant: emersisse civitatem ex obnoxia
7 pace illius consilio et opera; ipsum se cruciatibus et hostium irae offerre
8 piaculaque pro populo Romano dare. Arma cuncti spectant et bellum: en
9 unquam futurum, ut congredi armatis cum Samnite liceat?
- 10 In civitate ira odioque ardente dilectus prope omnium voluntariorum fuit.
11 Rescriptae ex eodem milite novae legiones ductusque ad Caudium exercitus.
12 Praegressi fetiales ubi ad portam venere, vestem detrahi pacis sponsoribus
13 iubent, manus post tergum vinciri. Cum apparitor verecundia maiestatis
14 Postumi laxe vinciret, "quin tu" inquit "adduces lorum, ut iusta fiat deditio?"
- 15 Tum ubi in coetum Samnitium et ad tribunal ventum Ponti est, A. Cornelius
16 Arvina fetialis ita verba fecit. "Quandoque hisce homines iniussu populi
17 Romani Quiritium foedus ictum iri sponderunt atque ob eam rem noxam
18 nocuerunt, ob eam rem quo populus Romanus scelere impio sit solutus hosce
19 homines vobis dedo." Haec dicenti fetiali Postumius genu femur quanta

20 maxime poterat vi perculit et clara voce ait se Samnitem civem esse, illum
21 legatum a se contra ius gentium violatum; eo iustius bellum gesturos.

22 [11] Tum Pontius "Nec ego istam deditionem accipiam" inquit, "nec
23 Samnites ratam habebunt. Quin tu, Sp. Postumi, si deos esse censes, aut
24 omnia inrita facis aut pacto stas? Samniti populo omnes quos in potestate
25 habuit aut pro iis pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te captum victori
26 cum qua potes fide restituis? Populum Romanum appello; quem si
27 sponsionis ad Furculas Caudinas factae paenitet, restituat legiones intra
28 saltum quo saeptae fuerunt. Nemo quemquam deceperit; omnia pro infecto
29 sint; recipiant arma quae per pactionem tradiderunt; redeant in castra sua;
30 quidquid pridie habuerunt quam in colloquium est ventum habeant; tum
31 bellum et fortia consilia placeant, tum sponsio et pax repudietur. Ea fortuna,
32 iis locis quae ante pacis mentionem habuimus geramus bellum; nec populus
33 Romanus consulum sponsionem nec nos fidem populi Romani accusemus.
34 Nunquamne causa defiet cur victi pacto non stetis? Obsides Porsinnae
35 dedistis; furto eos subduxistis. Auro civitatem a Gallis redemistis; inter
36 accipiendum aurum caesi sunt. Pacem nobiscum pepigistis ut legiones vobis
37 captas restitueremus; eam pacem inritam facitis. Et semper aliquam fraudi
38 speciem iuris imponitis. Non probat populus Romanus ignominiosa pace
39 legiones servatas? Pacem sibi habeat, legiones captas victori restituat; hoc
40 fide, hoc foederibus, hoc fetialibus caerimoniis dignum erat. Ut quidem tu
41 quod petisti per pactionem habeas, tot cives incolumes, ego pacem quam hos
42 tibi remittendo pactus sum non habeam, hoc tu, A. Corneli, hoc vos, fetiales,
43 iuris gentibus dicitis?

44 “Ego vero istos quos dedi simulatis nec accipio nec dedi arbitror, nec moror
45 quo minus in civitatem obligatam sponsione commissa iratis omnibus dis,
46 quorum eluditur numen, redeant. Gerite bellum, quando Sp. Postumius modo
47 legatum fetialem genu perculit. Ita di credent Samnitem civem Postumium,
48 non civem Romanum esse et a Samnite legatum Romanum violatum; eo
49 vobis iustum in nos factum esse bellum! Haec ludibria religionum non
50 pudere in lucem proferre et vix pueris dignas ambages senes ac consulares
51 fallendae fidei exquirere. I, lictor, deme vincla Romanis; moratus sit nemo
52 quo minus ubi visum fuerit abeant.” Et illi quidem, forsitan et publica, sua
53 certe liberata fide ab Caudio in castra Romana inviolati redierunt.